

quosque idonei homines singulis diebus Sabbathi prælegebant *Act. XV, 21.* quibus etiam prælectis ac recitatis fides in Messiam concipi, & charitas erga proximum addisci poterat, sic tamen, ut Mosis ac Prophetarum scripta falsis doctorum interpretationibus corrumpere, & multitudine traditionum, ac rituum onerarentur conscientia, & negligenterentur fundamenta sanæ doctrinæ de Messia, hujusque divinitate, satisfactione, ac meritis; ita etiam majores nostri sub Papatu habuerunt Verbum & Sacramenta, e quibus potuerunt concipere fidem & charitatem, sed quia docentium culpa variis rationibus hæc duo contaminata fuerunt, hinc Ecclesiam quidem, veruntamen corruptam constituerunt.

§. XXIIIX. Itaque porro distinguendum est inter *Papatum ipsum*, & id, quod *in papatu*, ac *sub papatu* fuit. Papatus ipse, quantus quantus est, ex erroribus, sceleribusque conflatus est. Debet enim originem suam Cacodæmoni, qui pater mendacii, omnisque corruptelæ est. Si quis enim quærat, in quo demum consistat Papatus, & quæ ad eundem sint referenda, tum vero ad eundem non revocanda sunt Verbum Dei, aut Sacramenta, aut veritates erutæ ex Scripturis, utpote quod credimus, *Deum esse P. F. & Sp. S. Christum esse verum Deum & verum hominem, & redemisse genus humanum suo sanguine, & corpus sanguinemque suum legasse nobis in Coena, vel etiam, honorandos esse parentes, neminem esse ledendum, erogandas esse eleemosynas, studendum esse bonis Operibus, aliaque id genus.* Hæc enim omnia fundata sunt in Scripturis, & in Ecclesia tradita, juxta & credita, antequam vel Papæ, vel Papatus nomen auditum est inter homines. At vero quod *Scripturæ traditiones, vel verbum quoddam non-scriptum, assuunt, quod quidam novum Trinitatis humanæ collegium blasphemæ comminiscuntur, cujus prima perso-*

*na*